

usque ad mortem', quod a sonoris campanis aereae¹ vocis aures ieiunant. Precellit enim aes ligno. Eodem enim signo ante Stephanum pontificem per omnes horas consecratas colligebantur fideles ad ecclesiam. Quem usum Ilirici et omnis Græcia adhuc observat. Sane quia mentionem fecimus de septuagesimo, oportet dicere, cui numero occurrat, videlicet paschali, id est clauso pasche, a pascha Domini usque ad septimam sabbati sanctam, et eadem festivitas est secundum legem mosaicam. Scriptum est in Exodo: 'Sollemnitatem azimorum custodies. Septem dierum comedes azima'. Et iterum in Levitico: 'Septem diebus azima comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque'. Et paulo post: 'Dies autem septimus erit celebrior et sanctior', atque in nostra ecclesia pro uno die accipitur totum illud tempus. Quae de re cottidie cantamus: 'Haec dies' et cottidie dicimus in celebratione missae: 'In² hac potissimum die'. Ut diximus septuagesimus pervenit usque ad clausum pascha³, sexagesimus usque ad medium, quinquagesimus usque ad primum, quadragesimus usque ad cenam Domini. Referri oportet, quid meae parvitati videatur in his terminis rationis haberi. Denarius quater ductus in quadragenarium surgit. Significat introitum vocati populi ad baptismum, quod demonstratur in libro Exhodi ubi scriptum est: 'In introitu vero atrii'; et paulo post: 'Columnas habebit quattuor cum basibus totidem'. Quod ita intellegendum tradunt doctores ecclesie: In introitu atrii quattuor sunt columnę, quia nonnisi per fidem et sacramenta evangelii, quę quattuor libris continentur, unitatem sanctę ecclesię quis ingredi poterit. Unde pulcher in ipsa ecclesia mos antiquitus inolevit⁴, qui cathecizandi et christianis sunt sacramentis initiandi, quattuor evangeliorum principia recitentur ac de figuris et ordine eorum in apertione aurium suarum solerter erudiantur. Quo sciant exinde ac meminerint, qui et quot⁵ sint libri, quorum verbis maxime in fide veritatis debeant erudiri. Decim enim verba legis in evangelio replicantur. Per quattuor evangelia docetur quisque auditor, ut habeat unius Dei notitiam et ipsum Deum non cogitet esse aliquam creaturam; ut septimum diem sanctificet, id est ut in dono septiformis spiritus accepta remissione peccatorum quiescat a pravis tumultibus. Septem precepta, quę secuntur ad denarium perficiendum; ubi est primum: 'Honora⁶ patrem tuum', ad dilectionem proximi pertinent. In multis hominibus ante baptismum naturaliter inserta sunt, et si non sunt, hoc agitur in scrutinio ante baptismum ut inserantur⁷. Quaterno

1) 'areae' Hs. 2) 'in h.' von zweiter Hand.
 'pasche'. 4) Es scheint zu fehlen 'ut eis'. W.
 'quod'. 6) 'hōfa' Hs. 7) 'utsērantur' Hs.

3) Verbessert aus
 5) Verbessert aus